

662 Lib. VI. Cap. III. de Fallac. extra distinctionem.
commodum, ubi cum v. g. Sempronius
absurdum aliquod deducit, quasi id se-
quatur ex sententia Titii, & quasi hæc sit
causa illius absurdi, cum tamen ex eâ
non sequatur, committi dicitur fallacia
non causæ ut causæ. vid. Arist. l. de elench.
Soph. S. 9.

II. Denique fallacia, quæ ex multipli-
ci interrogatione oritur, relicta nobis
est ex veterum disputandi consuetudine,
qui cum tantum interrogationibus ute-
rentur, diversas sæpe quæstiones misce-
bant, ut facilius adversarium constringe-
rent. Potest autem hæc fallacia com-
mitti, (1.) quando de uno interrogantur
plura, v. g. an adulterium sit peccatum
& licitum? (2.) quando de pluribus unum
quæritur, v. g. an temperantia & ebrietas
sit licita? (3.) cum plura de pluribus inter-
rogantur, e. g. an iustitia & iniustitia sit
virtus & vitium? Ad huiusmodi igitur
quæstiones, nisi quis ultro decipi velit,
distinctè respondendum est. Atque ita fal-
laciæ quoq; eâ, quæ fieri potuit, brevitate
explicitæ fuere. DEO, O. M. sit
in æt. laus, honor & gloria.
FINIS.